

Curtivum palatii sui per duo miliaria tenet; palatium autem illud in quo ipse moratur est factum per istum modum; nam pavimentum<sup>1</sup> ipsius unum laterem habet de auro alterum de argento. In curtivo istius palatii factus est unus monticulus de auro et argento, super quo facta sunt etiam monasteria et campanilia, ut homines fieri faciunt pro delectacionibus suis. Unde dicitur quod quatuor tales homines qualis iste est sunt in regno ipsius<sup>2</sup> Manzi. Nobilitas vero ipsius est habere ungues longas, et in tantum aliqui crescere permittunt ungues pollicis, quod cum ipsis circumdant sibi manus. Pulchritudo autem mulierum est parvos habere pedes. Unde hanc consuetudinem habent matres illarum mulierum, nam quando eis nascuntur aliquæ puellæ sibi ligant pedes quos nunquam crescere vel modicum dimittunt illis.

47. *De morte Senis de Monte.*

Dum autem recederem de terris Pretezoan,<sup>3</sup> veniens versus occidentem applicui ad quamdam contratam quæ Millestorte<sup>4</sup> nominatur. Hæc contrata pulchra est et multum fertilis.<sup>5</sup> In hac contrata unus erat qui vocabatur Senex a Monte, qui inter duos montes contratæ hujus unum fecerat murum, qui istum circumdabat montem. Infra istum murum pulchriores erant fontes qui unquam possent reperiri. Apud istos fontes positæ erant pulchriores domicellæ virgines quæ unquam possent reperiri, equi pulcherrimi, omneque illud quod pro aliâ delectatione alicui humano corpori poterat inveniri; unde hunc locum vocabant paradisum. Cum autem juvenem valoris aliquem ipse videbat in istâ suâ paradiso ipsum poni faciebat<sup>6</sup> per quosdam autem conductus vinum et lac illuc descendere faciebat.<sup>7</sup> Et cum volebat facere sicari, id est assaxinari, aliquem regem vel baronem, illum qui preerat illi paradiso petere faciebat, ut aliquem inveniret qui magis esset aptus delectari in ista sua paradiso, et morari. Iste autem talis dum sic esset inventus et ibi positus esset, ei potacionem unam dari faciebat quæ ipsum statim sopiebat. Tunc ipsum taliter dormientem de paradiso extrahi faciebat. Qui cum excitabatur et extra paradisum se videbat in tantâ erat positus agonia quod quid ageret penitus nesciebat. Quare illum Senem a monte rogabat constanter ut eum in illam reduceret paradisum in qua prius positus erat. Tunc senex ille dicebat, Tu illic ire non potes ni talem regem interficias vel baronem. Unde seu moriaris sive non, te in ista ponam paradiso. Et quia iste sic delectabatur morari paradiso, per eum sicari

<sup>1</sup> *Mus.* aulæ in qua ipse infra illud palatium moratur.

<sup>2</sup> *Ven.* ipso.

<sup>3</sup> *Ven.* Preteian.

<sup>4</sup> *Ven.* Ministorte; *Ut.* Millistorte; *Mus.* Melescorte; *Hak.* Milestorite; *Marc.* Millestorte.

<sup>5</sup> *Mus.* atque fortis.

<sup>6</sup> *This should come before* cum autem juvenem, *as in Ven.*

<sup>7</sup> *Far. here has a considerable diversity from the rest:*—Per hunc modum; nam nullus erat in curiâ suâ præter paucos secretarios suos qui veritatem delusionis sciret de hoc suo paradiso. Unde accipi faciebat juvenes fortes corpore et ipsos poni faciebat in stallis ubi morantur eques (equi) et ibidem vivere miserrime faciebat. Et faciebat eos de spreto habitu indui et nunquam de illis stallis exhibant. Itaque quasi nesciebant quod essent mundi blanditiæ, et quasi desperabantur. Cum autem sic erant afflicti faciebat eis unam potationem dari quæ eos fortissime soporabat (*sic*), et tunc ponebat illos in hoc paradiso inter illas puellas; per quosdam autem conductas, etc. *Hak. has* Iste senex cum voluerit sibi vindicare vel interfecere regem aliquem vel Baronem, dicit illi qui præerat illi Paradiso ut aliquam de notis illius regis vel Baronis introduceret in Paradisum illum, et illum deliciis frui permetteret, et tunc daret sibi potionem, etc. *Mus. has the same a little more diffusely.*